

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschieden] 1559**

Scena V.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

## ACTVS QVINTI SCENA V.

MENEDEMVS, CHREMES, CLITIPHO, SOSTRATA.

M. Nimuero Chremes nimi' grauiter cruciat  
e adolescentulum,  
Nimi'q; inhumane. exeo ergo, ut pacem con-  
ciliem. optume.

Ipsos uideo. Ch. ehem, Menedeme cur non accersi iubes  
Filia, & quod dotis dixi, firmas? So. mi uir, te obsecro  
Ne facias. Clit. pater obsecro ut mi ignoscas. M. da ue-  
niam Chreme:

Sine te exorem. Ch. egon' mea bona ut dem Bacchidi  
dono sciens?

Non faciam. M. at id nos non sinemus. Clit. si me ui-  
uom uis pater,

Ignosce. S. age. Chreme mi. M. age quaeso, ne tam ob-  
firma te Chreme.

Ch. Quid istuc? uideo non licere, ut coepera, hoc pertedere.

M. Facis, ut te decet. C. ea lege hoc adeo facia, si faciat id,  
Quod ego hunc aequom censeo. Clit. pater, omnia fa-  
ciam: impera.

Ch. Vxorem ut ducas. Cl. pater. Ch. nihil audio. Me. ad  
me recipio.

Faciet. Ch. nil etiam audio ipsum. Cl. perij. So. an du-  
bitas Clitipho?

Ch. Immo utrum uult? Me. faciet omnia. So. haec, dum in-  
cipias, graua sunt,

Dumq; ignores: ubi cognoris, facilia. Cl. faciam pater.

S. Nate

H E A V T O N

S. Nate mi, ego pol dabo puellam lepidam, quam tu facile  
ames,

Filiã Phanocratæ nostri. Cl. rufam ne illam uirginem,  
Cæsiam, sparso ore, adunco naso ? non possum pater.

Ch. Eia, ut elegans est, credas animũ ibi esse ? S. aliã dabo.

Cl. Quid istuc ? quandoquidem ducenda est, egomet ha-  
beo propemodum,

Quam uolo. S. nunc laudo te gnate. Clit. Archonidis  
filiam,

S. Perplacet. Cl. pater hoc nunc restat. Ch. quid ? Cl. Syro  
ignoscas uolo,

Quæ mea caussa fecit. C. fiat. Vos ualete, & plaudite.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Mitio senex,

Demea senex,

Sannio leno,

Aeschinus adolescens,

Syrus seruus,

Ctesipho adolescens,

Sostrata matrona,

Canthara nutrix,

Geta seruus,

Hegio senex,

Dromo seruus.

ACTA